

Virtutis sonus, Principum honos.

EMBLEMA XXXII.



*Fertur Achilleam Paridis lyra ad arma ruentem  
Quondam Pelleum praposuisse Ducem:  
Scilicet illa suis Venerem moderatur in hortis,  
Hæc rabidi furias Martis, & arma canit.  
Si elegisse datur fors an solatia, Princeps,  
Semper Achilleam dicito malo lyram.*

COMMENTARIVS.



EMBLEMA hoc ad maiorem antecedentis explicationem dirigitur, Principesque hortatur & admonet, ut vel in ipsis ludricis rebus, & ad remissionem animi comparatis, semper honestum, & decorum attendant, & virtutis publicique ac communis boni viam eligentes, à vitijs abstineant, & in bivio positi, bona potius, quàm turpia, & probrosa aliorum exempla sibi imitanda proponant.

Sumiturque ex historia Alexandri Magni, cuius Ælianus, & alij mentionem fecerunt. Qui cum Ilium venisset, & omnia studiosè contemplaretur, quidam Troum ei lyram Paridis ostendit. At ille: *Pluris* (inquit) *hæc, lyram Achillis facerem, si eam mihi ostendere posses.* Desiderabat nimirum fortissimi Ducis instrumentum, quo usus erat in præ-

Ælian. li. 9. de var. hist. cap. 38. Stob. ferm. 7. Lycost. in Apoph. pag. 305.